

requies sempiterna erit.“ Ad hoc Conradus respondit: „Domina mi, hoc solum meritis tuis ascribo, quibus id ipsum fieri confido.“ Interea conventus fuit ad coenam signo consuetudinario accersitus. Tunc iterum beata virgo ait: „Festina ad refectorium, ut simul cum fratribus sumas cibum.“ Et addidit: „Dignum est enim, ut qui socius est laboris, fiat etiam particeps consolationis.“ Ad hoc beatae virginis alloquium tantum suscepit robur virium, ut, qui prius incedere vix potuit, virili et veloci gressu per medium conventus processit. Quem videntes nonnulli viriliter incedentem mirati sunt et contemplantes vultum eius pallore quodam perfusum cognoverunt signanter, ipsum aliquo divino munere fuisse refectum^t. Post refectionem abbas eum privata allocutione obnixè rogavit, ut eum non celaret, de cuius rei gratia post tantam imbecillitatem tam festinam recepisset sanitatem. Ipse autem beatae virginis reticere noluit praeconium et meritum, gloriabatur, se ab eius consolatorio alloquio tanti refrigerii recepisse beneficium.

Cap. 12 [Beata virgo solatur Conradum alias post completorium]
 Angelorum consortem adhuc in terris degentem non solum visitabant angeli, verum etiam ipsa imperatrix angelorum. Nam mater domini Iesu in medio iuencularum tympanistiarum praeveniens coniuncta est viro angelico psallenti et caelestia contemplanti. Propter quod delectat me, aliud confabulare miraculum, ut inter vicina miracula nostra continue-
 tur laetitia. Accidit enim quodam tempore post completorii synaxin, ut, dum caelestium contemplator ad suscipiendam aquae benedictae asper-
 sionem se inclinasset, audivit retro se harmoniam caelestem dulcissime resonantem et totam habitationem illam dulcedine replentem. Quam ut primum audivit, mox diligentius auscultavit. Chorus vero psallen-
 tium magis magisque appropians symphoniam suam clarius et dulcius audire fecit, donec ad beati viri praesentiam veniret et ibi subsisteret. Psallens pariter et ipse Conradus corde et spiritu audivit circa se hanc
 dulcissimam symphoniam. Hanc quidem audivit, sed canentis nullam personam conspexit. Liquefacta est tamen in hoc audientis anima et dulcedo foris audita cordis subiit penetralia. Ad cuius rei novitatem stabat stupefactus ignorans prorsus, quidnam hoc esset. Post paululum
 factum est silentium et beata virgo Maria suum protulit eulogium. Emisit quidem affatum, sed corporalem non exhibuit aspectum. Ergo minister eius audivit eam sermocinantem ignorans loquentis personam,
 cuius non vidit speciem. Tunc Maria ait: „Mirarisne, serve dei, in his,

t) respectum *W₁*.